



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Gregorivs M. Doct. Eccl. 12. Martii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

pora undæ neque exanima disjunxerunt, imò ut favere Nymphis nostris scires, vestibus suis quàm decentissimè tectas ad littus exposuerunt, cum littus æternum meliusque dudum animæ tenerent. *Ex Ambros. & Euseb. Chron.*

S. GREGORIUS M. DOCT. ECCL.

12. Martii.

VLtro mendicabilis januæ paterent, si latitantes in iis CHRISTVM, vel Angelum cerneremus. Tales hospites GREGORIUS habuit, & ob eam pietatem summum Pontificatum tulit. Ad hunc eventus inter primas curas habuit medicinam gregi suo quærere, quem pestilentia totâ passim Italiâ, sed Romæ potissimum lacerabat. Placuit, morte tam atrociter grassante, ad MATREM VIVENTIVM confugere. Hujus proinde effigiem cum totâ urbe supplicabundus circumtulisset, Angelum vidit, qui iratum jam diu capitibus enses vaginæ redderet; & aërem noxiû purgari vel inde animadvertit, quòd in eo caelestes voces, gratantes CÆLI REGINÆ de morte victoriâ, audivit. Ita servatis domi civibus, foris etiam Christianû Imperium amplificavit, adjecto Anglorum regno. Libros deinde lucubrare est aggressus, qui etiam hodie Doctorem suum SPIRITVM S.

K 2

pro-

probant, quem quidem specie columbæ obvolitantem capiti ejus non unus vidit. Sed & ad preces illius Angelorum panis in carnem abiit, & hæsitanti femina fidem mysteriorum fecit. Tale columen Christiani orbis subruere tamē Mauritius Imp. cogitavit. Sed mox impiæ mortis consilium morte ipse non unâ luit, toties mortuus priusquam moreretur, quot sub securi filios vidit mori. Ipse idem fatum cū conjuge contra omnium parentum vota ultimus subiit. GREGORIVM verò mortuum ferunt anno DCIV. sed rectius vivere illum etiamnum, & immortalē vivere in suis libris dicemus. *Ex Surio.*

S. ISIDORVS C. 12. Martii.

ISIDORVM rusticum virtus nobilitavit. Invidete vos, quibus honorum titulos vel cunæ alienæ donarunt, vel nummi rursus mercati sunt. Quod si ridere serico cachinno terræ filios lubet, cur non eodem risu excipitis Angelos, quos ISIDORI vicem, dum hic precatur, fulcare non jam aërem pen- nis, sed aratro terram, custodire non jam homines, sed hominis mulos, & baculo in lupos pugnare conspicitis? Nimirum, quorum conspectum vos horrorem, præsentiam nauteam ducitis, cum his nobiles cæli cives esse delicias suas putant; vos hircum interim

his